



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christophori Longolii Lvcvbrationes

Longolius, Christophorus

Lvgdvni, 1542

Bernardvs Ivnta Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69441](#)

BERNARDVS

IVNTA AD

LECTO=

REM.



N OM N I B V S fere rebus, lector stu
diose, in quibus aut excellēs artificis ars,
aut præstans ingenij uis emineat, hoc in
primis animaduertere soleo: omnes qui
elegantioris ingenij & iudicij sunt, cum
eiusmodi rerum cōtemplatione uehemēter delectentur, ta-
men uero de artifice ipso scire quis nam & qualis fuerit
plurimū nonnunquam laborare. Id quod uel lcuiora op-
ificū opera satis declarant. Quis enim est, qui uel egregiā
aliquam picturam, uel affabre factum & elaboratum signū
diutius cūm delectatione contēplari posſit, cui non sēpius
ueniat in mentem de opificis conditione querere: aut qui
etiam, si fieri posset, non libenter eum uideat, colloquatur,
de uitæq; totius ratione interroget? Neq; quicquam ullo
in genere tam perfectū esse posſit, ut ignorato artificis no-
mine, spectatorum desiderium explere posſit. quin uel hoc
ipso, quòd præstans sit, eorum desideriū auget, semperq;
aliquid desiderabunt, quādiu autorem ipsum prorsus igno-
rent. In his uero rebus, quæ animi uirtutis & ingenij mo-
numenta posteris relinquuntur, incredibile est, quanto stu-
dio efferantur qui excelsiori animo prædicti sunt, de ijs co-
gnoscendi, quorum uel præclara gesta, uel docte & co-
piose scripta admirantur: ut nunquam penè sibi querendo
satisfaciant antequam & patriam & cognitionem, natu-
ram, formam, habitum, totius deniq; uitæ eorū cursum &
cōſilia perspecta & explorata habeant. Atq; horū quidē
diligens

3

diligens investigatio, si cum illorum comparetur qui hæc
in opificibus querunt, in re non admodum dispari, dissi-
milimam laudem meretur: ut alteri curiosi, alteri ingeniosi
iure appellari debeant. Quid enim opus est, de opificibus,
quorum opera miraris, tam multa interrogare, quoru nec
uitam nec artem tibi sequēdam aut imitandam ducas? Ne-
mo enim est animo paulo nobiliori, qui si aut Coam Vene-
rem, aut Theſpiensem Cupidinem, summa cum admiratio-
ne aſpicerit, cum & opera ipſa, & autores maxime pro-
bet, Apellem ſe aut Praxitelem eſſe uelit: aut omnino do-
leat ſe uel huius in fingendo, uel illius in pingendi ratione
excellentiam non poſſe aſſequi. At uero qui doſtorum ho-
minum & eloquentium monumenta admirantur, non mo-
do ſe quam ſimilimos illorum eſſe ſtudent, ſed in illorum
etiam ſi fieri poſſit naturā transire. Quid ergo utilius eſſe
poſſit ijs qui aliquem imitando effingere uelint, quam eius
uitæ conſuetudinem cognitam habere, noſſe qua ſubſidia
ad tantam doctrinam habuerit, quaे contrā impedimenta,
& quomodo ſuperarit? Ex ijs enim facile quid ſibi ſperan-
dum, aut contrā, quid in ea arte in qua excellere cupit de-
ſperandum ſit, coniectura aſſequi poſſit. Atq; hæc eò à me
dicta ſunt lector studioſe, ne diutius expectationem tuam
teneam, cui in omnibus quamprimum ſatisfacere cupio: ut
quoniam Christophori Longoli uitæ commentariolum,
ab amiciſſimo quodam eius, qui cum eo familiariter uixit
conſcriptum, & à me cum diligentia conquisitum, operi
eius, quod à me editur, apponendum curarim: intelligas
id à me ea ratione factū, ut te quisquis eſ tam egregij ope-
ris admirator, pleniori obſequio demererer, tuoq; deſide-
rio in omnibus occurrerem. Non enim dubito quin eius
ſcripta legendo in eam ſepe uoluntate incides, quam antè

a 2.

dixi

4

dixi eloquentium hominum & doctorum opera inspicien
tibus se mouere , ut libenter multa de autoris uitæ ratione
uelis intelligere . Ex qua cum illud scieris , quātillo tempo=
re , & quibus rebus impeditus , omnium fere disciplinarum
scientiam sit adeptus , summamq; eloquentiam cum maxi=
marum rerum cognitione coniunxerit : illum fructum uel
maximum capies , ut plane scias , tibi , qui maiorem faculta=
tem & commoditatem discendi habeas , quiq; longioris ui=
tae spem tibi proponas , minime desperandum esse (quod
magna pars discentium facit) ad earum ipsarum artium
omnium intelligentiam aspirare posse . Quæ quidem , si ue=
rum fateri uolumus , eo societatis uinculo iunguntur , ut nisi
uniuersas perdidiceris , ne unam quidem perfecte intelli=
gas . Cum uero ille ueterum semper admirator , atq; eorum
qui optime scripserunt imitator fuit , quemadmodum tibi
quoq; est faciendum quisquis in Romana eloquentia ex=
cellere cupias ; hoc ex lectione scriptorum eius cognoscere
erit iucundissimum , quo pacto ueteres in ipsis uestigijs sit
persecutus . Romanamq; linguam , quæ nostro secu=
lo iam diu peregrina esse uidebatur , neq; de mo=
ribus nostris , qui ab antiquis multū dissi=
dent , loqui ausa fuerit , ita ad consue=
tudines nostras accommodarit ,
ut nihil penè in nostro usu
sit quod non apte ele=
ganterq; expri=
mat . Vale ,

C H R